



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Quantu[m] & vnde sit matrimonij vinculum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

vagans Latona de rusticis ranas esse iussit, ipsaque aetate praedentior superuenit. Quæ postquam tripudiandi causam intellexit, plangere potius, quàm plaudere ranas ceteras iussit. Si enim, inquit, hic vnus sol radys suis & calore lacunas paludis nostras ebibit, quid futurum est, si filios plures sit procreaturus? Hominum quoque multi nuptijs & prole gaudent, quam optant numerosam, sed non vident, opes suas ab vna consumi, & se vnà cum liberis, si plures acquirerent, aut non alij super alios morerentur, ad summam inopiam adigendos. Itaque illis lat in matrimonio boni esse debet fidus coniunx, exemplo illius, qui dixit: *Numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* Filij possunt, cum prodigo illo deserere parentes, si vel maxime viuant; coniunx coniugem deserere non potest. Quamobrem rectè D. Augustinus, in lib. de bono coniugij ait: *Coniugium mihi bonum videtur, non propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem.* Atque hoc est tertium matrimonij bonum, quod S. Augustinus sacramentum, alij appellant insolubilitatem, quæ in eo consistit, vt, post initum semel coniugium, alter ab altero nunquam separetur. Nec est, inter humanas necessitudines, arctius aut inuolabilius vllum vinculum, quàm vinculum matrimonij. Hinc ex Adami costa Deus fecit Euam, vt significaret virum & vxorem non tam duos esse, quàm vnum, immo indiuisibiles esse atque inseparabiles. *Et erunt duo in carne vna.* Sicut ergo vna caro non potest diuidi, & vna manere, ita non potest coniunx à coniuge separari; cum sit *vna caro* cum coniuge. Siquidem vnitati diuisio, hoc est, diuortium, & polygamia repugnat. Quoniam igitur coniugij pactum bonum est, bonum vtique erit, id pactum non posse rescindi.

i. Reg. 1. 8.

II.
1. Cor. 7. 10.

Diuina hoc lege cautum est. *His, qui matrimonio iuncti sunt,* ait Apostolus, *præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat, ne quoad habitationem, quidem. Sine graui & iusta causa scilicet; siquidem ob fornicationem, & alias iustas causas, licet dimittere, quod attinet ad tori quidem consortium. Diuortium enim etiam iustum & licitum,*

ficitum, non soluit vinculum matrimonij. Quare, etsi con-
iunx sic adultera, aut vir adulter, tamen neque viro innocenti,
neque innocenti vxori fas est aliud matrimonium inire. Quod
clare affirmat S. Paulus, dum ait: *Quod si discesserit vxor: præ-*
cipere Dominum, manere inuuptam. Solo enim toro & coha-
bitatione, non autem etiam vinculo separantur. Haud igitur
licet alium, vel aliam ducere, vt non solum SS. Patres & Conci-
lia, sed ipse etiam Apostolus paulò infra disertius docet, dum
ait: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuuit: quòd si*
dormierit vir eius liberata est, cui vult nubat, tantum in Dominos
hoc est, secundum legem Dei; prolis, non libidinis causa; &
cum timore DEI; in Domini Ecclesia, non Pagano, aut
hæretico; id ob periculum peruersionis, Ecclesiâ verantè. Cùm
autem dicat Paulus, *præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro*
non discedere; si quis vult scire, vbi Dominus præcipiat, apud
Matthæum inueniet Christum dicentem: *Quod Deus coniunxit,*
homo non separet. Et paulò post: *Qui dimiserit vxorem suam, ex-*
cepta causa fornicationis, & duxerit aliam, mœchatur. Vbi sen-
sus non est, cum, qui ob fornicationem licitè dimisit vxorem,
aliam ducendo non mœchari. Sicut enim ex illo: *scienti bonum*
facere, & non facienti peccatum est illi, non licet inferre: *Qui*
igitur nescit bonum, non peccat, cum etiâ sint peccata per igno-
rantiam, vt ait S. Augustinus: ita malè ratiocinatur, qui ex eo,
quia non licet vxorem bonam dimittere, & aliam ducere, col-
ligit, fas esse, aliam ducere, quia malam & adulteram fas est
dimittere. Grande igitur est & firmum hoc vinculum, quia
vsque ad mortem durat.

Cuius vim egregiè expressit D. Augustinus his verbis. *Ca-*
nere debet charitas conjugalis, ne dum sibi querit, vnde amplius ho-
voretur, coniugi faciat, vnde damnetur. Qui enim dimittit vxorem
suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Usque adeo
fedus illud iniurum nuptiale, cuiusdam sacramenti res est, vt nec ipsa
separatio irritum fiat: quandoquidem, viuente viro, a quo relicta
est, mœchatur, si alteri nupsit: Et ille huius mali causa est, qui re-
liquit. Miror autem si, quemadmodum licet dimittere adulteram,
vxorem: ita liceat à dimissa alteram ducere. Facit enim hac de re

S. Hieronym.
apud Amand.
S. Aug. lib. 2.
de adult. con-
iug. cap. 4.
Conc. Mile-
uit. c. 17. Eli-
bertin. cap 9.
Trid. sess. 24.
Can. 7.1 Cor.
7. 39.
Matth. 19. 6.

Iac. 4. 17.

S. Aug. lib. 12
de adulterin.
coniugijs. c. 8.

III
S. Augustin.
lib. de bono
coniug. c. 9.

